

quibus utuntur typographi, alii magis, alii minus elaborati sunt. Vnde vel pulchriores prodeunt codices, vel impuriore. Neque eadem omnium correctorum doctrina & vigilantia est, neque una omnibus typographis cura fuit, ut rebus suis idoneum correctorem praeficerent. Quis vero non malit opus mendis liberum, quam scatens erroribus, sensum auctoris misere pervertentibus? quis sibi non prospiciat, si quem librum comparare sibi cupit, ut probam illius editionem nanciscatur, quae codicum veterum lectionem diligenter referat? Imo & raritate sua se commendant hodie primarum officinarum, earumque nobiliorum, partus literarii, quas vero officinas bene distinguere posse, hoc opus, hic labor est. Cum itaque typographi peculiare notas sui characteristicas operibus suis imprimi curaverint, testor heic omnes ingenuos homines, annon ii laudem & bonam gratiam mereantur, qui colligendis his notis tempus suum studiumque commodant? maxime cum non nisi summo cum labore ex innumeris codicibus colligi possint. Labet huc transferre MICHAELIS MAITTAIRII, clarissimi viri, verba, in *historia Stephanorum* (quem librum apud nos rariorem ex Bibliotheca excellentissimi Medici & Polyhistoris GODOFREDI THOMASII perlustrandum accepisse me gratus profiteor) p. 2. ita differentis: hujus operis utilitatem nemo non cognoscet, nisi „ qui ignorat, character characteri, liber libro, ty- „ pographus typographo quid praestet; deformi pul- „ cher, emendatus corrupto, doctissimus ineptis- „ simo quid intersit. „

Huc ergo adeste, qui notitiae librorum studetis acquirendae, & opes ingeniorum in tot diversissima

C

volumi-